

las pingendas curaverit, in quibus, tan quam in speculo, rem totam intuerentur homines. O te beatum, qui in manus tuas aureum hunc libellum sumpseris, ac multo beatior, si salutaria ejusdem præcepta diligenter tenueris. Hinc agnosces profectò Baldi Angeli scientiam, cum bonitate conjunctam: nam si sola esset, non scientia, sed malitia diceretur potius; scientiam (inquam) quia, cum multi alij homines hoc tentaverint, & ingenio suo diffisi inchoatum reliquerint; ipse tamen absolvit idem, & eo, quò intenderat, postremo deduxit. Bonitatem verò dixi; quoniam tunc vir bonus maximè probatur, cum facit, ut bonitatis suæ celeri homines sint participes. Interim gaudeat Iguvium, & omnibus incedat lætitijs, quod talem & tantum filium in lucem ediderit; & FRANCISCUS MARIA, Serenissimus Princeps omniq; laude cumulatus, cui est jure optimo Medicus Baldus Angelus, lætetur, se habere illum Philosophum Medicum nobilissimum, optimum, fidelissimum, & adde si quid vis aliud. Cæterum tu expectato brevi, dum aliud *περὶ τῶν δευτερευόντων* opus in apertum proferat; hoc autem hilari fronte accipias velim. Vale.

PETRI